DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,

Et Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICAE Decreto

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES GULIELMUS BOVELL,

CHIRURG. COLLEG. LOND. SOC.

SOCIET. REG. MED. EDIN. PRÆS. ANN.

SOCIET. PHYS. LOND. SOC. HONOR.

ET NUPER EXERCITUI BRIT. CHIRURG.

AD DIEM 24 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

Surgeon Gen'l's Office
LIBRARY
U-22 1/2

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

APUD ROBERTUM ALLAN.

M,DCC,XCVII

JOANNI BOVELL,

ARMIGERO;

Hominum probiſſimo,

Parentum optimo,

Indulgentiſſimoque,

Cui omnia debet

Has

Studiorum primitias

Pius, gratuſque conſecrat

AUCTOR.

Itemque

Itemque

Viro ſpectatiſſimo,

Cognato ſuo dilectiſſimoque

JOANNI ROACH,

ARMIGERO;

Omnibus mentis dotibus

Quæ illum amicorum delicias reddunt

Ornato,

Propter cjus amicitiam,

Opuſculum hocce

Monumentum quidem pertenue

Sacrum voluit

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE.

Auctore J. G. BOVELL.

PROŒMIUM.

HEPATITIS præ omnibus, de quibus Noſologi egerunt, morbis, hujus diſſertationis argumentum mihi arriſit, non ſolum quia rarius in hujuſmodi tentaminibus tractatur, ſed etiam quia in illâ terrarum plagâ, in quâ futurum ſpero ut vitam poſthàc degam, frequentius occurrit.

Cullenus perſpicuum et concinnum hepatitidis acutæ characterem pro more ſuo tradidit, cum autem lenta morbi ſpecies in hac regione perrara ſit, ſatis habuit brevem ejus hiſtoriam, potius quam ſigna quibus a cæteris omnibus dignoſcatur, tradidiſſe. Cum de utraque morbi formâ paucis diſſerere mecum decreverim, definitiones de induſtria ſilebo, ſatius fore ratus conſpectum ſignorum generalem, quo utraque morbi ſpecies dignoſcatur, tradere, ubi de morbi hiſtoriâ, et diagnoſi agetur.

HISTORIA

HISTORIA MORBI.

Hepatitis in duas ſpecies dividitur, nempe in acutam et lentam; illam prægreditur horripilatio plus minuſve gravis, quæ tamen in nonnullis exemplis adeo levis eſt, ut ægri obſervationem effugiat, hanc excipiunt calor auctus, arteriarumque pulſus duri et frequentes. Hæc ſigna dolor plus minuſve acutus comitatur, plerumque hypochondrii dextri, qui ſub inſpirationem augetur, pleuritici inſtar, gravi ſimul urgente vigiliâ, et interdum delirio: Æger in latus affectum facilius cubat. In quibuſdam exemplis adeſt tuſſis plerumque ſicca, nonnunquam vero humida. Urina colore rubicundiore, felle haud raro tincta, et parcâ quantitate ſecernitur.

Inſigniter arent os, fauces, et lingua, quæ cruſtâ albidâ plerumque obducitur. Indiciis jam traditis hepatitis acuta potiſſimum inſignitur, phæno-

mena autem pro variâ morbi ſede haud parum variare ſolent; ſi nimirum inflammatio ſuperficiem hepatis convexam occupaverit, ita ut peritonæum afficiatur, tumor plus minus percipi poteſt, dolorque preſſu augetur; ſi autem ſedem figat in illâ jecinoris parte, quæ proxime diaphragmati jacet, moleſta exoritur ſpirandi difficultas, cum tuſſi ficcâ et frequenti, acutiſque doloribus, qui per diverſas thoracis partes vibrantur, et ad claviculam, ſcapulam, ſummumque humeri dextri uſque pertingunt. Si vero denique jecoris parti ventriculo proximæ inflammatio inſideat, nauſeæ vehementi, et vomitioni haud rarò bilioſæ occaſionem præbet. Septum tranſverſum tantâ interdum vi afficitur, ut æger antrorſum, arcûs inſtar, incurvetur, quo corporis ſitu ſolo dolor levatur, ſpirituſque ſimul horrendo ſingultu interpellatur.

Canalis inteſtinalis tanto nonnunquam torpore afficitur, ut licet fel uberius fluat, ut ex vomitu bilioſo, quo æger ſæpe torquetur, ſatis conſtat, cathartica tamen acria neceſſaria fiant. Veriſimile mihi

mihi videtur, hepatitiden acutam ſedem ſuam in ſuperficie hepatis ſolâ plerumque figere, lentam vero intra parenchyma ejuſdem fere cohiberi, in hoc enim inveniuntur ſæpe abſceſſus, qui vel ſecum invicem commercium habent, vel cellulis diſtinctis, favi inſtar, ſeparantur, nullâ ſimul ſuperficiei hepatis injuriâ, quæ ſenſibus percipi poteſt, exiſtente.

Signa hepatitidis acutæ maximè communia jam tradidimus, et graviter dolendum eſt, eadem eſſe nonnunquam adeò obſcura, ut medicorum expertiſſimorum obſervationem effugiant: De illis quidem ſi Morgagnio fides habenda, malè judicaverunt, et Valſalva, et Michael Sarconius, eadem peripneumoniæ ſigna rati. Hepatitidis autem lentæ, cujus hiſtoriam jam tradere conabor, acceſſus eſt magis adhuc obſcurus et doloſus, haud rarò enim fit, ut nulla ex ſignis ſupra traditis exhibeat, et inveniatur extitiſſe ſolâ inciſione cadaverum in quorum jecoribus magni abſceſſus, inflammationis prægreſſæ effectus, reperti fuerunt.

Hepatitis

Hepatitis lenta dividi poteſt in idiopathicam et ſymptomaticam: Hujus ſpeciei initio et præcipue poſt paſtum æger de ventriculi inflatione, plenitudinis ſenſu et diſtentione, ructu vario et præcipuè acido comitante, conqueritur: Cibi appetentia eſt varia, æger enim cibum modo faſtidit, modo præter ſolitum appetit, et ſi genio ſuo indulgeat, omnia ſigna exacerbantur, et ventriculus adeò infirmatur, ut cibum crudum et indigeſtum diu retineat. Vultus ſimul inſignem mutationem patitur, nitor ſolitus eum deſerit, oculi hebeſcunt, et torpent, et tunica ipſorum conjunctiva modò flaveſcit, ſæpius autem oculorum albor ſolito obſcurior fit, et facies tumida et lurida evadit.

Hæc ſigna comitatur moleſtiæ ſenſus, qui ad regionem epigaſtricam refertur, et ad hypochondrium dextrum tranſvolat; de hoc ſigno æger, utpote ventriculi affectionem ratus, ſæpe malè judicat: Hic moleſtiæ ſenſus preſſu augetur, ad ſummum humeri dextri, et claviculam uſque vibratur, nec rarò cum conſimili harum partium dolore, et moleſtiâ alternat.

alternat. Æger interea languore, laſſitudine, ſummo cujuſvis niſus faſtidio, et ineluctabili in ſomnum proclivitate afficitur ; ſomnus verò fugax eſt, rarò miſerum reficit, diriſque inſomniis abrumpitur. Spiritus ægrè trahitur, et frequenti ſuſpirio interrumpitur. Animus triſtis et demiſſus eſt, ſolitudinem amat, oblectamenta fugit, et ab hominum oculis, et convictu ſemotus, ſorti ſuæ lugubri illachrymat. Hepatitidis idiopathicæ lentæ initio alvus comprimitur, morbo autem inveterato, et pariter per totum hepatitidis ſymptomaticæ decurſum varia eſt, modo aſtricta, modo levitate affecta ; dejectioneſque plerumque parcæ ſunt, olidæ, ac mucoſæ, abdomine ſimul tumido ac tenſo exiſtente.

Pulſus arteriarum in quibuſdam exemplis vix ullam mutationem ſubit, neque validior neque frequentior, ſed contra nonnunquam præter naturam tardior factus.

Lingua

Lingua eſt albida, ſicca, et quaſi villoſa; cutis arida, duriuſcula, et conſtricta, et urina parca et rubra redditur; ſpiritus ab initio uſque plus minus difficile trahitur, hoc autem ſignum morbi progreſſu, et finem verſus augetur, comitante ſæpè tuſſi ſiccâ, raucâ et ſonorâ, quæ lateris dolorem auget.

Gingivæ ab initio uſque tactu duræ percipiuntur. Humeri affectio modo ante exiſtit, quam lateris dolor ſentitur, modo autem penitus deeſt; nonnunquam autem humero preſſo excitari poteſt, licet ab ægro antea non ſentiebatur.

Morbo huc uſque provecto, dolores modo obtuſi, modo autem acuti et vellicantes, huc illuc vibrati, partibus ſimul plus minus duris ac tumidis, preſſu augentur, et cum plenitudinis et ponderis ſenſu in epigaſtrio et hypochondrio ſentito alternant.

Æger in neutrum latus facile cubat, dolor eſt plerumque minor, quando in dorſum, capite et humeris aliquantulum elevatis, et ad dextrum latus leniter inclinatus recumbit.

Reſpiratio tandem haud parum turbatur, doloreſque ſimiles iis, qui obſervantur in pneumonia, quacum hepatitis nonnunquam conjungitur, in diverſas thoracis partes vibrantur. Singultus ac vomitus raro lentam, ſæpe vero acutam hepatitiden comitari obſervantur.

Icterus interdum forte conjungitur, minime vero pro ſigno perpetuo, uti nonnullis perſuadetur, habendus eſt.

Aſcites, et anaſarca hepatitidi lentæ ſupervenerunt ob hepar mole auctum venas vicinas comprimens, et ſic ſanguinis reditui obicem ponens.

Nemo poſt pubertatem, modo cauſis excitantibus objiciatur, ab hoc morbo immunis eſt; tem-

peramento autem ſanguineo præditi præ cæteris huic morbo opportuni ſunt.

Dr GIRDLESTONE ſe neminem unquam præter adultos morbo affectum vidiſſe obſervat; ex viginti tympaniſtis legionis centeſimæ primæ, ne unus quidem morbo correptus fuit, quamvis perpetuo in armis erant, et itinera ſua, quovis alio ex commilitonibus ſuis conſtantius, faciebant.

Propoſitione, quæ hic ſubſequitur, perpenſa, videtur ſagacem Dr FRANK cenſuiſſe, hepatitiden eſſe morbum hæreditarium; quæ autem ſuper hac re obſervat, nondum aliorum obſervatione adeo confirmantur, ut uſdem diutius, quam dum verba ipſius citamus, hic loci immoremur. Hæc verba habet:

" Poſt pulmones, ac cerebrum nullum fere viſ-
" cus eſt, quod hæreditatio magis quam hepar
" jure ægrotet; novimuſque familias quibus non
" chronicis modo, ſed inflammatoriis adeo affecti-
" bus

" bus ſingulari protinus diſpoſitione hepar fre-
" quentius laboraret."

Hepatitidis duratio eſt admodum varia, modo enim ſigna non niſi poſt longum tempus ſtadia ſua diverſa percurrunt, modo autem ſubito augentur, et curſum ſuum brevi abſolvunt, comitantibus exacerbatione veſpertina, ſudore nocturno, magna debilitate, alvique proluvie exhauriente, et nauſeoſa, donec æger tandem febre hectica, quæ naſcitur ex pluribus hepatis abſceſſibus ruptis, e medio tollitur. Hepatitis modo jam deſcripto inchoat, progreditur, et tandem ad finem pervenit; facile autem percipitur morbi impetum et progreſſum, non ſolum cauſarum excitantium diverſitate, viribus, et operandi modo, ſed etiam diverſa ægrorum ante morbum inchoatum conditione, adeo variari poſſe, ut ſigna nunquam in ullis binis, nedum in pluribus ægris, eadem eſſe poſſint. Cuncta ſigna ſupra recenſita raro in eodem ægro adſunt; quodque magis notabile eſt, hepatitis indiciis adeo obſcuris interdum comitatur, ut maxime in re medica verſati,

eundem adeſſe ne quidem ſuſpicentur. Quando morbus hac forma inſidioſa adoritur, prima ſigna, quatenus obſervatione conſtat, ſunt dejectiones frequentes, parcæ, mucoſæ, et acres, torminibus parum regularibus, et teneſmo comitatæ. Ante vero quam hæc ſigna ſe oſtenderint, ægri vultus accurate obſervanti haud parum in deterius mutatus, et nitorem ſuum naturalem amiſiſſe, videbitur. Æger interdum de nullo dolore conqueritur, ſed cibi appetentia deficit, macreſcit, animo labaſcit, vires ſubito franguntur, priſtinus oris nitor evaneſcit, et tandem putrida alvi proluvie, et febre hectica corripitur, quibus, ne quidem ſuſpicatus hanc diram ſignorum ſeriem ex hepatis affectione ortam eſſe, brevi aufertur. Obſervandum eſt dorſum et humeros hoc morbo affectorum incurvari, et inſigniter antrorſum flecti; pectus quoque notabili modo mutari, et informe reddi.

Hepatitis lenta interdum impetum facit formâ pyrexiæ parum regularis, incertis intervallis adorientis, comitantibus ſimul calore intenſo, ſiti, et

arteriarum

arteriarum pulſu debili, parvo, et interdum abnormi, quamviſque caloris, et moleſtiæ ſenſus eodem tempore in epigaſtrio, et hypochondrio dextro percipiuntur, morbus tamen, eo quod ſigna conſimilia in aliis pyrexiis obſervantur, longius ante progreditur, quam vel minime ſuſpectus habetur. Eſt varietas febris intermittentis partibus Indiæ montoſis propria, quæ Anglicè vocatur *Hill Fever*, hepatiſque, et præcipuè lobi ſiniſtri affectione pendet, et hydrargyro ſanatur.

Dr MACLEAN nos certiores facit, chirurgum ſpectabilem apud Bombaiam vidiſſe tria hujus febris peculiaris exempla, quæ aſthmatis forma impetum fecerunt, remediiſque, quæ vulgo in iſto morbo adhibentur, reſiſtiterunt, tandem vero hepatitidis forma induta, hydrargyri viribus ceſſerunt: Porro unum ex iiſdem ægris alteram ejuſdem morbi tentationem paſſum, et eodem remedio ut antea ſanatum eſſe, addit.

VAN

VAN SWIETEN quoque afferit ſpeciem hepatitidis leviorem nonnunquam febres intermittentes autumnales comitari, et in illa abſtinendum eſſe a cinchona, quippe quæ cum manifeſto ægrorum damno adhibita fuit in Belgicis provinciis, et præcipue Lugduni Batavorum, ad profligandam hujuſmodi febrem, quæ anno præſentis ſeculi decimo nono tota Europa per populum graſſata eſt.

Dr CRAWFORD, hepatis auctam molem ſine alio ejuſdem vitio obſervavit; inciſio cadaverum, immenſam hepatis molem, ambo hypochondria occupantem, et ad hypogaſtrium deſcendentem, oſtendit. Morbus, ut ait hicce auctor, acutus eſt, et venæ ſectioni, et catharticis cedit.

Hepatitis lenta nonnunquam in acutam, quaſi indolem ſuam mutata, deſinit; hæc mutatio aliquando tarde, vixque percipiendo modo efficitur, nonnunquam vero ſubito ob magnam vim, qua pollent nonnullæ cauſæ excitantes, quales ſunt nimius vini, aliorumque medicamentorum *cardiaco-*

rum

rum uſus, quibus infelix ad triſtitiam ſuam depellendam utitur: Dubitari autem poteſt num hæc mutatio hepatitis acuta, vel major hepatitidis lentæ gradus appellanda ſit.

Dr GIRDLESTONE opinatur primum hepatitidis ſtadium ad hepatitiden lentam fere ſemper pertinere; hoc autem repugnat noſtræ, aliorumque accuratorum auctorum experientiæ, et contendimus acutam ſæpe prægredi, et deſinere in ſpeciem lentam. Obſervationibus Dr MACLEAN et CLARKE collatis, veriſimile videatur, lobum hepatis ſiniſtrum ſæpius tentari in India Orientali, quam in Occidentali; hic enim unum tantum vidit caſum, in quo ſiniſter lobus afficiebatur. Porro videretur abſceſſus hepatis diſtinctos et ſeparatos frequentiores eſſe in Orientali quam in Occidentali hemiſpherio.

FERREINIUS ab omnibus auctoribus diſſidet, aſſeritque hepatitiden frequentius occurrere in Europa, quam vel in India Orientali, vel Occidentali, morbum-

morbumque ſedem ſuam in ſiniſtro lobo ſæpius figere.

Miſeri qui in utraque India hoc morbo laborant, raro medicum accerſunt, donec lateris tumor, et abſceſſus prominentes ſe oſtenderint,

——— " ſero medicina paratur,
" Cum mala per longas invaluere moras."

In hoc loco inauſpicato eſt utriuſque Indiæ plebecula, quæ fere ſemper cauſis morbi excitantibus objicitur, et diæta ex frugibus tenui et aquoſa veſcitur; hinc tabe lenta, vixque percipienda conficitur, et tandem morbo paulatim aufertur. Hi miſerandi ſolita ſua negotia per plures ſeptimanas curant, nec unquam, niſi dolor urgeat, medelam quærunt; hinc, morbus, cauſis excitantibus denuo admotis, tacite redit, in ſuppurationem paulatim abiturus. Hepatitis eſt ſæpe ſymptoma vel comes aliorum morborum, quales ſunt febres intermittentes et remittentes, et dyſenteria imperite tractata, et ſane vix datur Indiæ morbus, qui non

dat,

dat, vel auget proclivitatem in hepatitiden. Porro obſervatum eſt hos morbos, et medicamenta, quibus ſanantur, haud raro latitantis inſidioſi mali ſcintillas accendere: Hinc omnium harum miſeriarum culpa haud raro in medicum nihil tote merentem ſæpe rejicitur. Quando Indiæ morbi ſolitis remediis non cedunt, ſæpe ex hepate obſtructo pendere inveniuntur; hoc medici ſuſpectum habentes ad hydrargyrum, quaſi ſolum remedium, ſæpe confugiunt: Manifeſtum eſt autem haud parva hic loci prudentia opus eſſe, alioquin multum damni, et periculum non leve facile oriri poſſe. Hepatitidis lentæ progreſſus eſt admodum varius, modo intra paucorum dierum ſpatium velox terminatur, modo autem ſeptimanas plures, immo menſes, vel etiam annos, ni cauſa aliqua occaſionali violentiore ſtimuletur, ad curſum ſuum abſolvendum requirit.

HEPATITIDIS TERMINATIONES.

Hæ ſunt reſolutio, ſuppuratio, ſchirrhus, et uti crediderim, raro licet, gangræna.

Sunt quibus videtur, hepatitiden vix et ne vix quidem in regionibus calidis in ſchirrum abire, cum autem hic morbi terminus cadaverum inciſione demonſtratur, hujuſmodi dubiis parum fidendum eſt.

Quando reſolutione terminatur, finis hicce optandus plerumque copioſa ſurſum, et certius adhuc deorſum, exinanitione fellis comitatur; hæc evacuatio certiſſimum fauſti exitus indicium eſt, in lenta præſertim hepatitide, indicat enim vaſorum debilitatem, quæ in hac ſpecie princeps morbi cauſa habenda eſt, non eſſe admodum gravem, et congeſtionem brevi eſſe tollendam, quod cujuſvis inflammationis, ſive activæ, ſive paſſivæ, ſive acutæ,

ſive

ſive lentæ, ſanationi neceſſarium duco. Plures alias exinanitiones felicem huncce hepatitidis finem comitari obſervatum eſt, quales ſunt ſanguinis fluxus e naribus, vel ex vaſis hæmorrhoidalibus, dejectiones mucoſæ, ſudor tepidus, fluidus, ac univerſalis, urinæ fluxus ſedimentum copioſum deponens, et excreatio libera, et copioſa in exemplis, quæ tuſſi ſicca, dolenti, ac difficili antea comitata fuerant.

De hac morbi terminatione dubitare videtur illuſtris CULLENUS hac queſtione,

" Can this diſeaſe be reſolved by expectoration ?"

Vir ſagax Dr SAUNDERS ſe morbi reſolutionem excreatione muci ex Bronchiis libera comitatam aſſerit.

Alia eſt denique, nec improbabilis quidem res, quæ hepatitidis reſolutionem comitatur, exſudatio nimirum viſcida, ex hepatis ſuperficie, quæ inflammationi adhæſivæ occaſionem præbet ; hæc quidem cauſa, aut res circumſtans hepatitidi acutæ propria videtur, nec improbabile

videtur, quin aliquis ejuſdem gradus hanc ſpeciem ſemper comitetur; plurimi enim ex iis, qui revaleſcunt, per totum vitæ curſum, in latus ſiniſtrum difficilius cubare, et lateris dextri dolore ſub quovis niſu ſubito affici obſervantur, quæ quidem ſigna probabiliter hujuſmodi adhæſionibus tribuenda ſunt.

Suppurationis tempus diverſum eſt, pro ægri temperamento, climatis natura, anni tempeſtate, inflammationis magnitudine, vel remediis adhibitis; ſi pyrexia et dolor violenti fuerint, et paucos dies perſtiterint, ſuppuratio ſupervenire ſolet, et magna puris copia formatur, et ſi inflammatio convexam hepatis ſuperficiem occupaverit, tumor fit magis prominens, et fluctuatio percipi poteſt, ita ut chirurgus ad pus artificioſe evacuandum dirigatur. Progrediente ſuppuratione, rigores frequentes percipiuntur, doloremque acutum excipit ponderis, et oppreſſionis ſenſus. Quando morbus in concava jecinoris parte ſedet, tumor et fluctuatio non ſemper percipi poſſunt, ſolita autem ſuppurationis

ſigna

ſigna plerumque obſervari queunt in omnibus exemplis in quibus formatur pus. De hac re ita dicit CULLENUS, " Tempore ſuppurationis, unus, pluresve abſceſſus intra hepar formantur, puſque per diverſas, pro diverſa morbi ſede, vias eliminatur: Hoc fieri poteſt per ductus biliarios, vel ſi pars ſuppurata non arcte adhæreat partibus vicinis, in abdominis cavum erumpere poteſt: Quando autem adhæſio firma eſt, evacuatio per varios exitus, pro varia morbi ſede fiet.

" Morbo convexam hepatis ſuperficiem occupante, ſi ſuppuratum adhæreat peritonæo tegumenta communia intus ſuccingenti, pus per hæc viam ſibi foras pateſacere poteſt, vel ſi adnectatur diaphragmati, hoc exeſo, tranſire in thoracis cavum, vel in pulmonem, et ex hoc exſcreari poteſt.

" Quando abſceſſus parti jecinoris concavæ inſidet, pus ob variam adhæſionem poteſt erumpere

pere in ventriculum; vel recta, vel per ductus biliarios, in inteſtina tranſire poteſt."

Si via per quam tranſit in inteſtina ſit facilis et aperta, æger etiam poſt maciem inſignem, aliaque indicia minitantia, de quibus vix bene ſperare licet, ſanitatem ſæpe recuperat. Si pus in thoracis, abdominiſve cavum erumpat, exitium plerumque affert. Sæpe evenit, ut magnus abſceſſus velociter formetur, qui vas aliquod magnum ſanguiferum rodendo, vel pus in abdominis cavum exonerando, lethalis evaſit. Signa puris formationem indicantia ſubito nonnunquam ceſſarunt, in hujuſmodi exemplis poſitum fuit, vel pus per metaſtaſin ex hepate alio tranſiviſſe, vel rapide reſorptum urina eliminatum eſſe.

Suppurationis autem ſigna valde manifeſta ſemper non ſunt; horum inſigniora ſunt remiſſio doloris cum ſenſu pulſationis et ponderis in hypochondrio dextro, præſertim quando æger in latus ſiniſtrum recumbit; in multis quidem exemplis fluc-

tuatio

tuatio eſt ſatis manifeſta, ſunt rigores, qui ſæpe recurrunt, et febricula ſub noctem, cum faciei rubore, et calore aucto, proclivitate in ſudorem profuſum, aliiſque febris hecticæ indiciis: Signa autem ſuppurationis ſunt interdum adeo obſcura, et pus progreſſu adeo tardo et vix percipiendo formatur, ut etiam in uſu medico expertiſſimi hallucinati fuerint, morbum reſolutione terminatum rati, quando revera in ſuppurationem deſiit. Quando dolor inſigniter remittit, vel una cum cæteris ſignis penitus ceſſat, non ſolum æger, ſed etiam medicus ipſe facile in hunc errorem incidunt; hinc medicamenta efficaciſſima negliguntur, donec abſceſſus tandem extrorſum tumens, vel febris lenta ſuppuramento interno ſuperveniens, chimeram fugaverit, et ægri, medicique ſpem et gaudium fruſtrati fuerint.

Ab hoc erroris fonte plerumque caveri poteſt, animum ad res ſequentes advertendo: Si doloris remiſſio vel ceſſatio aliqua exinanitione non comitatur, ſi ſanus faciei color non redierit, ſi quævis functionum

functionum multum infirmetur, si difficile in latus sinistrum cubatur, si hæc difficultas tempori, quo in illud latus cubatur, pro rata portione respondeat, et excipiatur ponderis, et tandem doloris sensu, et si denique febricula vespertina cum rigoris sensu supervenerit, indicium de morbi eventu cautissime ferendum erit; hujusmodi enim rebus adstantibus, suppurationem ingruere, vel revera adesse plerumque invenietur. In exemplis dubiis, in quibus nulla hujusmodi signa ad indicium nostrum dirigendum existunt, judicare plerumque valebimus suppurationem vel instare, vel jam adesse collocando ægrum per tempus insigne in latus sinistrum, et de sensibus suis interrogando; hoc consilio præcipi potest ægro ut in latus sinistrum recumbens dormiat.

Dr Frank affirmat se noviſſe totam superficiem hepatis, et vesiculæ bilis affectam inflammatione, et gangræna huic superveniente, quæ ex calculis ductui hepatico, aut cystico hærentibus originem traxerunt.

Dr

Dr SAUNDERS meminit ſe quædam vidiſſe exempla, in quibus dolor et inflammatio ſubito ſubſederunt, et excipiebantur pulſu tremulo, ac parvo, frigore extremorum, animi deliquio, et tandem morte. Mihi ipſi quidem vidiſſe contigit caſum, qui eodem modo deſiit, ita ut ſit, cur ſuſpicemur hepatitiden, in quibuſdam exemplis, aliarum inflammationum inſtar, in gangrænam abire poſſe.

Hepatitis interdum deſinit in ſchirrum hepatis, quod plerumque mole, et pondere augetur, modo autem his utriſque minuitur; de hac re fuſius tractabimus in proximo hujus diſſertationis capite, ubi de phœnomenis cadaverum inciſione inventis dicturi ſumus.

DE HEPATITIDE.

CADAVERUM INCISIO.

Lieutaud, Morgagni, Bonetus, et Baillie nos docent, ſpecies hoc modo inventas admodum varias eſſe. Obſervavimus ſupra, hepatitiden ſæpe in ſuppurationem terminari, et pus nonnunquam, diaphragmate exeſo, in cavum thoracis irrumpere; ſanguiniſque circuitum ob hepar venas vicinas comprimens adeo impediri, ut aſcites ſubnaſcatur.

Ad has res confirmandas, ſit mihi fas hic loci citare caſum a Morgagnio deſumptum, qui his utriſque lumen offundet.

" Sexagenaria mulier diu queritur de dolore ſupra umbilicalem regionem, ſitit, tuſſit, exſpuit catarrhalem materiam; poſtremo difficile reſpirat, pauciſque ante mortem diebus, repente intumeſcit venter, ædemate pedes occupantur; tandem

tandem ſenſim illo deficiente dolore ſit vivendi finis.

" In ventre magna limpidæ aquæ copia ; nullum vaſorum lymphaticorum veſtigium ; lien naturali duplo major. Hepar durum cui annexa fellis veſicula plena erat calculis lævigatis : Alia autem in parte veſicularum congeries hepati inhærens cernebatur, quibus laceratis, ſerum effluebat. Intra ſubſtantiam autem ejuſdem viſceris, eam partem verſus quæ diaphragma ſpectabat, cavum abſceſſus inventum eſt, plus tertia jecinoris parte occupans : Eruperat, diaphragmate perforato, materia abſceſſus in dexteram thoracis caveam, quæ tota ſanioſo pure plena erat : Pulmo tamen ſanus fuit."

Dr MACLEAN quatuor cadaverum inciſiones tradit, in quibus abſceſſus exederunt pulmonem, et pus plus minuſve ante mortem exſcreatum fuit : In his omnibus exemplis bronchia infarcta fuerunt pure cum ſanguine commiſto, haud abſimili iſti,

quod tuſſiendo rejectum fuerat. Pulmo dexter adhærebat inſigni pleuræ portioni, præcipue circa foramen in diaphragmate roſum, quod erat trium digitorum capax. Circa hæc foramina plures diverſæ molis ſubſtantiæ, ſchirri inſtar, uti ex earundem duritie, dum ſcalpello incidebantur, conſtiterat: In uno ex his exemplis, quæ pneumoniam ab initio uſque comitem habuerat, pulmonis dextri adhæſio erat firma, et late diffuſa, ſiniſtri vero laxa, et partialis extitit; et libra, vel circiter, laticis ſeroſi, et flaveſcentis, in pericardio reperta eſt: In hoc quoque exemplo lobi hepatis ſiniſtri abſceſſus aderat, ex quo pus per dies quatuordecim ante manarat, quam æger mortem obiit, quodque ſignis, ex quibus bonum augurari licebat, comitatum fuerat, donec magnus dextri lobi abſceſſus viam ſibi in thoracis cavum patefecit. In omnibus his quatuor exemplis veſica bilis felle viſcido diſtenta erat, hepatiſque ſuperficies inſigni ſepti tranſverſi portioni adhærebat, et in uno eorundem erat peculiaris adhæſio hepar inter, et renem dextrum. Hepatis ſuperficies modo maculis

lividis

lividis interſtincta, modo naturalis apparebat: In omnibus ſepti tranſverſi tendo foramine penitus erat exeſus: Ut verbo expediam, nullum datur viſcus vicinum, cui hepar non adhærebat in nonnullis ex his quatuor exemplis.

In multis ductus et veſica bilis inflammationis manifeſtæ indicia oſtendunt, et meſenterii glandulæ interdum duræ, et mole auctæ, præſertim in his, qui hepatitide lenta dyſenteriæ ſignis comitata diu laborabant. Porro ſplen quoque affici, et diaphragma maculis lividis diſtingui inveniuntur.

STALPARTIUS cadaveris inciſionem deſcribit, in quo hepar diaphragmati, et hoc pulmoni adhærebat; narrat quoque haud exiguam puris copiam in pulmonis dextri lobum per fiſtulam putrem ex hepate tranſiiſſe.

Auctor accuratus et concinnus Dr SAUNDERS, jam citatus, obſervat,

" Diſſections

" Diſſections have often ſhewn an enlarged and ſchirrous ſtate of the liver; and ſuch a variety in the appearances may be obſerved, as to ſuggeſt the idea of different kinds of ſchirrus; ſometimes the liver is found obviouſly ſmaller, and its ſhape changed; the lower edge, which is naturally thin, eſpecially of the left lobe, becomes rounded and gibbous, and the colour, natural to this organ in its healthy ſtate, is loſt, and it aſſumes an aſh or clay-coloured hue. If we cut into its ſubſtance, we find uniformly a ſolid compact appearance, interſperſed with foramina, evidently the orifices of divided veſſels; but if we compare the cut ſurface of a diſeaſed liver with that of a healthy one, we obſerve a very ſenſible difference, the later being much more porous than the former.

" The morbid and compact ſtate, together with the diminiſhed bulk of this organ, lead us at firſt view to ſuſpect, that the diminiſhed ſize may be explained on the principle of conſoli-

dation

dation of its ſubſtance; or, in other words, that it has gained in compactneſs, what it has loſt in external bulk. If this explanation were juſt and adequate, we ſhould find the liver of its natural weight; but obſervation has evinced, that together with a diminution of bulk, there is ſome degree of loſs in its weight, evidently proving, that a portion of its ſolid ſubſtance has been removed, and carried into the general maſs, agreeable to a law of the abſorbent ſyſtem: But it is probable that this diminution of ſubſtance is in different degrees, according to the duration of the complaint; in the more early ſtages of ſchirrous liver, its bulk is not ſenſibly diminiſhed; nay I am perſuaded, that there is at this period an increaſe both of bulk and weight, but that afterwards there is a gradual diminution of both."

Dr SAUNDERS porro aſſerit, effuſionem fieri per arteriam hepaticam in hepatitide acuta, per venam

venam portæ autem in lenta: Hæc autem parum conſtare videntur.

Antequam ad diagnoſin tranſibimus, haud abs re forſitan foret ex MORGAGNI ſcriptis memorare caſum infantis cum duobus hepatibus, quorum alterum naturali licet minus, ſolitam ſedem occupaverat, alterum aliquanto majus priori per membranam denſam, et venæ portarum trunco adnexum excrevit in tumorem externum, cute haud tectum, quem Boſcus pro cicatrice habuit: Nulla fellis veſicula obſervari potuit, infanſque 35 dies natus e vita conceſſit. Nec alienum videatur alterum inſigne meminiſſe exemplum in Theatro Divi Thomæ Anatomico Londini, non ita pridem a Domino CLINE obſervatum, in quo lobus hepatis magnus ſiniſtrum, ſplen vero et cor dextrum latus tenuere.

DIAG-

DIAGNOSIS.

Morbi, quibus hepatitis confundi poteſt, ſunt dyſpepſia, ſpaſmodicæ coli affectiones, rheumatiſmus muſculorum hepati vicinorum, pneumonia et gaſtritis.

Hepatitis lenta, uti ex hiſtoria ſupra tradita patet, ſæpe pro dyſpepſia falſo habetur, et ſummi eſt momenti nos morbos a ſe invicem dignoſcere, quia remedia admodum diverſa poſtulant, maximaque infortunia ex illorum confuſione profluunt. Indicium noſtrum in hac re difficili multum juvabitur animum ad ſequentia ſigna advertendo: In hepatitide lenta æger conqueritur de dolore fugace, ac levi, quem falſo ad ventriculum refert, quique aëre ſurſum erumpente levatur; dolor eſt adeo levis, ut periculum non indicet, et hoc, quod ructu mitigatur, fidem facit, eundem ex ſtomachi cruditate pendere: Manifeſtum eſt autem

rationem levaminis, quod hoc modo obtinetur, reddi poſſe, ponendo hepatis preſſuram, quæ ex ventriculi diſtentione pendebat, aëris eruptione, ſublatam eſſe.

In exemplis in quibus hepar afficitur, vultus inſignitur colore peculiari livido, et mœſtitia, quæ hepatitiden lentam latitare indicant, et partium epigaſtrio vicinarum, quamlibet leviter preſſarum, dolor ſatis notabilis percipitur. Hæc ſigna, progrediente morbo, præſertim veſperi, comitantur pulſu frequentiori, calore aucto, aliiſque pyrexiæ ſignis, quæ nonnunquam detractione ſanguinis, cujus ſuperficies ſolita phlegmaſiarum phœnomena oſtendit, levantur.

Nonnullæ ſpaſmodicæ coli affectiones hepatitiden adeo exquiſite ſimulant, ut, ſi humeri dolor abfuerit, difficillime internoſcantur: Quod hanc difficultatem etiamnum auget, eſt, quod in his affectionibus, dolor eſt interdum adeo levis et obſcurus, ut vix percipi poſſit, quod alvus adeo pertinaciter

citer aſtringitur, et quod decubitus in utrumvis latus eſt æque difficilis; in hujuſmodi rebus circumſtantibus coli affectionem ab hepatitide diſtinguere valebimus tantum advertendo animum ad cuncta ægri ſigna, et hiſtoriam.

Rheumatiſmus muſculorum hepati vicinorum eodem fere modo, et obſervando, dolorem ſedem ſuam ſæpe mutare, et cum unius, pluriumve articulorum, doloribus alternare, ſecernitur: Porro in rheumatiſmo dolor preſſu magis urget, et vix aut ne vix quidem tuſſi vel vomitione comitatur.

Hepatitis interdum pneumoniæ conjungitur; quando autem pulmo ipſe, ipſiuſve, coſtarumve pleura non afficitur, ab hoc, claviculæ, ſummive humeri dextri dolore abſente, qui quidem fere ſemper acutam hepatitiden comitatur, dignoſci poteſt: Porro in pneumonia dolor magis diffunditur, ſedemque ſuam altius figit, excreatio eſt copioſior, et ſanguine nonnunquam tingitur; tuſſis, et ſpirandi difficultas ſunt moleſtiores, ægerque in latus af-

fectum difficilius recumbit; quæ quidem omnia in hepatitide diverſa ſunt: Inſuper pneumonia idiopathica in India Orientali, aut Occidentali raro obſervatur.

Haud ita quidem facile a pneumonia ſecernitur, quando illa jecinoris pars, cui coſtæ ſpuriæ reſpondent, afficitur, et hæc affectio adeo ſe diffundit, ut ſeptum tranſverſum ita premat, ut thoracis cavum imminuatur; re autem ita ſe habente, tuſſis eſt plerumque ſicca: Burserius doctus de hac re tractans monet, ut æger incubet genubus ſurſum levatis, ita ut abdominis muſculi laxentur, quo accuratius ſcrutemur, num hepar inflammatione affectum, aut mole auctum exiſtet.

Hepatitis multo facilius dignoſcitur a gaſtritide per ardorem et dolorem, quibus ventriculus afficitur, quibuſlibet præſertim rebus ingeſtis: Porro debilitas in hepatitide minime æque inſignis eſt, ac in gaſtritide.

Cum

Cum autem diſtinctiones noſologicæ proſint tantum, ubi remedia, et medendi ratio diverſa ſunt, parum refert, num acutam hepatitiden a pneumonia, gaſtritide, aliiſque morbis inflammationem habentibus, quæ eadem fere remedia poſtulant, dignoſcere valeamus.

DE

DE PROCLIVITATE IN HEPATITIDEN.

De illa corporis conditione, quæ homines huic morbo opportunos reddit, nondum ſatis conſtat: Obſervationibus autem ſcriptorum de hac re accuratiſſimorum liquet, morbum impuberes raro afficere: Illos, qui robore et ætate florentes ex regionibus frigidis in Indiam Orientalem aut Occidentalem migrant, temperamento ſanguineo præſertim præditos, quibuſque vires morbis prægreſſis, aliiſve cauſis debilitantibus nondum infirmantur, hepatitidi acutæ exquiſitius inſignitæ, præ cæteris hominibus obnoxios eſſe: Corpore autem infirmos, et temperamento melancholico præditos, quibus corporis et animi vires, rebus adverſis, morbiſque, et luxu franguntur, lentæ hepatitidi opportunos eſſe.

Nonnullis clinicis perſuadetur hepatitiden non eſſe magis familiarem et exitialem maribus, quam fœminis, quæ, durante morbo, amenorrhœa afficiuntur.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

PLURIMÆ exiſtunt cauſæ remotæ, tam prædiſponentes, quam excitantes, quæ hepatitidi occaſionem præbuiſſe feruntur; qualia ſunt ictus capiti, vel hepatis regioni illati; potus frigidus; balneum frigidum, vel quies, et ſomnus in terra humida, dum corpus præter ſolitum calet; calculi in ductu ſive hepatico ſive cyſtico hærentes; aſcarides ex inteſtinis ad hepar uſque repentes, et ſtimulo perpetuo irritantes; intemperantia, et præſertim meraciorum potionum abuſus; animi affectus violenti; exercitatio corporis vehemens; diæta prava; radii ſolares; hydrargyri abuſus; morbi prægreſſi; et calor.

Multum quidem abeſt, ut modus, quo illæ cauſæ morbum inducunt, intelligatur: Cum autem hepatitis in regionibus frigidis raro ſe oſtendit, veriſimile videtur, omnes longas cauſarum ſeries hic recenſitas,

recenſitas, ſi calorem excipiamus, prædiſponentibus eſſe annumerandas: Si enim res non ita ſe haberet, hepatitis æque frequens in frigidis, ac in calidis regionibus eſſe oporteret.

Caloris operandi modus adeo obſcurus eſt, ut num cauſa excitans ſit, jure dubitari poſſit: quamvis enim calor in oris Bengalæ, et Coromandelæ idem ſit, morbus tamen longe frequentior eſt in hac, quam in illa, ut conſtat ex obſervationibus Doctoris LIND: Aliæ igitur res tanti diſcriminis cauſæ exiſtant oportet, nec alia, quam horum locorum ſoli, et aëris diſcrimen, cauſa ſubeſſe videtur: Conſtat enim obſervatione morbum magis pendere ex ſubitis ac violentis aëris mutationibus, quam ex magnitudine caloris: Sic licet calor ſit intenſior, attamen ſi ſupra vel infra eundem thermometri Fahrenheitiani gradum non multum fluctuet, Europæi, modo radiis ſolaribus non objiciantur, raro hepatitide, tentari ſolent.

Auctores

Auctores obſervant morbum eſſe multo rariorem in Bengala, ubi res militaris geritur in navigiis tectis, ut a radiis ſolis defendantur, et ubi commeatus meliores ſunt, et conſtantius ſuppeditantur: Hoc diſcrimen magna ex parte pendere poteſt ex majore aëris Bengalenſis humore, præ aëre littoris Coromandelæ, ubi ſolum eſt ſiccum et arenoſum, et venti calidi, et ſicci, qui immenſas arenæ planities radiis ſolis ad perpendiculum torrefactas verrunt, et ſuperficiem adeo ſiccam reddunt, ut cutis conſtricta fiat, corporiſque calor uſque adeo ſupra ſanitatis normam augeatur, et actio vaſorum hepatis præter ſolitum intendatur, uti ex dolente caloris ſenſu, qui in illa regione percipitur, et vomitione bilioſa, qua mox excipitur, manifeſtum eſt. Si, his rebus circumſtantibus, frigus corpori quovis modo, veluti aëre nocturno, aura marina, vel potu frigido, &c. adhibeatur, ſigna multum augentur, et acuta hepatitis plerumque ſupervenit.

Si hæ temperiei viciſſitudines morbo, uno impetu, excitando impares fuerint, ſæpius tamen iteratæ totum corpus, et præſertim hepar tanta debilitate afficiunt, ut hepatitis lenta citius aut ſerius inducatur. Non faciam, ut rationem reddam, quare jecur præ cæteris viſceribus ex hac cauſarum conjunctione aptum ſit in inflammationem, imperfectus enim ſcientiæ noſtræ ſtatus nulla præbet principia, quibus hæc queſtio dirimatur: Nec minus obſcurus videtur cæterarum cauſarum operandi modus, nec aliud dici poſſe videtur, quam quod agunt inducendo diatheſin ſthenicam, vel aſthenicam: Dici poſſit, et dictum quidem fuit, liquores ſpirituoſos, et calorem actione ſpecifica in hepar agere; hujuſmodi autem dicta nihil aliud, quam dolus, aut fallax ignorantiæ noſtræ confeſſio ſunt, nec iiſdem ab ulteriori rerum inveſtigatione deterrendi ſumus: Ad hanc quidem accendimur luminis ſplendore, quem nuper quibuſdam functionum animalium offudit chymia, ſcientiarum regina, quæ clavem imis machinæ animalis penetralibus reſerandis promittit.

Poſt

Poſt hanc, de noſtra cauſarum remotarum operandi modi ignorantia, confeſſionem, parum nobis conſtare videamur, ſi aliquid de cauſa proxima proferre audeamus: Hoc quidem argumentum ſilentio præterire lubenter vellem, cum autem moris ſit aliquid de hac etiam re dicere, mihi condonandum ſpero, ſi paucula ex his, quæ mihi de eadem ſæpius ſpeculanti ſe obtulerunt, in medium proferam: Hoc quidem quam breviſſime potero perſtringam, ne ultra limites, quibus hujuſmodi diſputationes inaugurales neceſſario circumſcribuntur, longius excurrerem.

CAUSA PROXIMA.

QUIBUSDAM forſan neceſſarium videatur, de omnibus, quæ de hac quæſtione difficili excogitatæ fuerint, opinionibus, hic loci dicendum eſſe, hoc autem nec animus, nec tempus ſinunt, paucas igitur tantum perſtringere volo.

CULLENUS celeberrimus poſuit vaſorum extremorum ſpaſmum actionem auctam in ramis ipſorum majoribus ſuſtinentem cauſam inflammationis proximam fuiſſe: Sedenim viri multi ingenioſi inter quos præcipue numerentur Profeſſores noſtri illuſtriſſimi DUNCANUS, RUTHERFORDIUS, et GREGORIUS nullam doctrinæ ſpaſmodicæ evidentiam perſpicientes eandem rejiciunt, et inflammationis phœnomenis, cauſis, et remediis perpenſis inflammationem in duas ſpecies nempe in activam et paſſivam dividunt.

HALLERUS

HALLERUS eximius, et hujus veſtigia prementes Dr LUBBOCK et Dominus ALLEN aliam hypotheſin excogitaverunt, inflammationem nempe ſemper ſedem ſuam figere in arteriolis minutiſſimis, haſque vel aliquantum virium ſuarum naturalium amiſiſſe, vel truncos, unde oriuntur, virium incrementum accepiſſe, dum illæ, nimirum arteriolæ, nihil roboris, vel ſaltem non quantum pro rata ratione incremento roboris truncorum reſponderet, acceperint: Vel ſi genus ſanguiferum debilitate afficiatur, robur arteriolis, quod ſupererit, non apte reſpondere illi, quod in truncis exiſtit.

Hanc opinionem in diſſertatione ſua inaugurali hic loci nuper edita Dr WALKER vulgavit; quicunque autem eandem vel leviſſime cogitaverit, is, nihil aliud, quam inane æſtuantis imaginationis phantaſma eſſe, percipiet: Eadem enim remedia, quæ in una inflammatione proſunt, in alia obeſſe obſervatione conſtat: Cauſa igitur proxima in utraque eadem eſſe nequit. Animum pauliſper advertamus ad initium et progreſſum inflammatio-

nis

nis; et hujus exemplum proferamus ophthalmiam, utpote in qua ob membranarum pelluciditatem, morbi phænomena clare conſpici poſſunt.

Prima ſigna quæ percipi poſſunt, ſunt caloris, vel tenſionis ſenſus, et paulo poſt particulæ ſanguinis rubræ in vaſcula, quæ antea humorem ſeroſum ſolum recipiebant, tranſire obſervantur; tandem plures particulæ rubræ ſe oſtendunt, et augeri perſtant, donec maxima adnatæ pars colorem rubrum uniformem induat.

Nunc quæritur, ex quanam vaſorum conditione pendent hæc phænomena?

Duæ tantum opiniones hucuſque prolatæ ſunt; nimirum vel actio vaſorum magnorum aucta particulas rubras in vaſcula ſeroſa pellit, dum horum robur idem, ac in ſanitate perſtat, vel minuitur ita, ut vi vaſorum majorum ordinariæ cedat. Admodum quidem veriſimile videtur, vaſcula adnatæ modo illa, modo hac conditione affecta exiſtere; expe-

experientia enim conſtat aliam oculi inflammationem ſanari regimine antiphlogiſtico, ſanguinis detractione, alvi purgatione, ſtimulumque luminis et exercitationis vitando, nec minus eadem experientia conſtat aliam ophthalmiam feliciter curari cinchona, vino, ſtimuloque lucis et exercitationis, quod evidenter probat illius eſſentiam in ſthenica, hujus autem in aſthenica diatheſi conſiſtere: Porro convenit inter omnes, qui rebus veris, et factis, magis quam opinionibus moventur, oculi inflammationem, quæ initio actuoſa erat, progrediente morbo in debilitatem abire, jamque medendi rationem omnino contrariam iſti, quæ initio erat idonea, poſtulare; et ſane ita res ſe habet in omni inflammatione actuoſa, quæ ocyus, ſerius pro vaſorum robore, et cauſarum vi in ſpeciem paſſivam deſinit: Tempus, quo hæc mutatio fiat in diverſis exemplis, eſt diverſum; tranſitus interdum eſt adeo velox, ut medicorum minus accuratorum obſervationem effugiat. Nonne hinc ratio vera redditur, quare ſanguinis detractio in primis actuoſæ inflammationis ſtadiis prodeſt?

Modus,

Modus, quo inflammatio activa in passivam terminatur illustrari potest, considerando sanguinis congestionem in omni exemplo in vasis inflammatis existere, et quod ex eo consequitur, hæc vasa præter naturam distendi: His positis manifestum est, si congestio, morbi initio, sanguinis quantitatem minuendo, vel ejus distributionem ad alias partes vesicatoriis tempestive adhibitis, vel aliis modis faciendo, tollatur, tonum vasorum conservatum iri, et ulteriorem morbi progressum opprimendum; vel etiamsi morbus aliquantum progressus fuerit, eadem auxilia, causam distendentem tollendo, et vasis toni, quem amiserant, occasionem recuperandi præbendo, profitura esse.

Si autem congestio aliquamdiu perstiterit, et vasorum vires insigniter minutæ fuerint, suppuratio, aut schirrus, prout inflammatio plus minus gravis fuerit, supervenire solent. Quicunque has rei rationes caute, et candide pependerit, is, uti opinor, non colligere non poterit, quin duæ inflammationis species existant, quarum altera ex

nimio

nimio et morboſo vaſorum vigore, altera vero ex eorundem laxitate, et debilitate pendet: Semper vero memoria tenendum, de hac re raticionantem facile in errorem induci, ni animum vertat ad facilitatem et proclivitatem, quibus inflammatio activa in paſſivam mutatur. His, qui hypotheſin debilitatis tuentur, hanc mutationem non accedere probandum incumbit.

Quomodo ratio reddenda inflammationis actuoſæ frigoris actione ſanatæ?

Nonne veſicatoria partis, cui admoventur, inflammationem activam prius excitant, quam paſſiva ſupervenerit?

Nonne ignis idem efficit?

Hæc principia inflammationis generatim rationem reddere videntur, et modo, quo hepatitis acuta in ſuppurationem, gangrænam et ſchirrum definit, illuſtrando inſerviunt: Porro exponunt qua ratione ſchirrus, nulla acuta inflammatione prægreſſa, inducatur, actione cauſa-

rum infirmantium paulatim agentium, quales ſunt commoratio longa in regionibus calidis, ſpirituum deſtillatorum abuſus, animi affectus, &c. quibus hepatis vaſa laxantur, effunduntque partem humorum circumeuntium, lympham probabiliter coagulabilem, quæ concreſcens ſolida evadit, et ni venis lymphaticis ſummoveatur, pondus, et molem hepatis auget.

RATIO-

RATIO QUORUNDAM SYMPTOMATUM.

Humeri dextri, et clāviculæ dolor diverſis cauſis tribuitur: Sunt qui eundem oriri putant ex ſepti tranſverſi inflammatione cum mediaſtino communicata, et hujus curſum legente, ad partem thoracis ſuperiorem diffuſa: Alii nulla ratione probabili allata, e nexu quodam nervorum pendere opinantur. Oriri forſan poteſt ex conſenſu, qui inter omnes ejuſdem lateris corporis partes exiſtere obſervatur.

Hypochondrii dextri tenſio et dolor inflammationi dextrum jecoris lobum plerumque occupanti imputari ſolent.

Spirandi difficultas, ſingultus, tuſſis, decubituſque in latus ſiniſtrum difficilis pendent non ſolum ex

inflammatione ad ſeptum tranſverſum et pleuram coſtarum, et pulmonem uſque propagata, ſed etiam ex aucto hepatis pondere, quod ligamenta ejus præter ſolitum tendit.

Vomitus oritur ex ſuperficie hepatis concava inflammata, mole aucta, et ventriculum comprimente, vel ex inflammatione in ventriculum ipſum ſerpente, ſæpius autem ex magna bilis copia, quæ in duodenum profunditur, cujus motu periſtaltico inverſo in ſtomachum defertur, et ſtimulo ſuo nauſeam, et vomitionem excitat.

Humerorum convexitas, pectoriſque deformitas, quæ huic malo ſuperveniunt, ex corpore perpetuo antrorſum inclinato oriri videntur; hoc enim ſitu dolor levatur, quia jecur ſepto tranſverſo non adeo comprimi videtur.

Frequentior hepatitidis lentæ occaſio ex ſanguinis hepatici dotibus, cujus maxima pars conſtat ex latice

tice venarum, qui multo minus ſtimulat, quam fluidum arterioſum, pendere videtur.

De coloris, ponderis, moliſque hepatis mutationibus ſupra jam dictum ſit.

PROG.

PROGNOSIS.

Judicium de eventu animum ad antecedentia, morbi vim, ad tempus, et ægri ætatem, corporiſque habitum, accurate advertendo dirigi debet.

Si animi pariter ac corporis vires morbis prægreſſis, intemperantia, vel exhauriente longæ peregrinationis opere multum franguntur, malum augurandum: In plagis enim calidis hepatitis acuta tanta proclivitate in ſuppurationem fertur, ut etiam in exemplis, quæ modicis ſignis comitantur, nulla ſalutis ſpes exiſtat, ni medicus initio, vel brevi poſt morbum inchoatum, arceſſatur: Sin minus morbus, ut antea diximus, brevi in inflammationem paſſivam ſchirro vel ſuppuratione comitante deſinit.

Magna ſpirandi difficultas, cum tuſſi ſicca et moleſta, et gravi ad claviculam et ſummum humeri

ri dextri dolore, maximum periculum, ni brevi idoneis remediis cedant, inſtare ſemper indicant. Si autem ſigna moleſtiora, aliqua exinanitione, vel arte facta, vel ſponte ſuperveniente, comitante ſimul humore totius corporis ſuperficiei frigidulo, inſigniter remiſerint; vel ſi morbus ad ſpeciem lentam pertinet, et nativus oris nitor redierit, ſi alvi excretio fœtorem iſtum peculiarem perdiderit, quo in hac affectione inſignitur, et ſpeciem ſuam naturalem ſimul recuperet, exitum felicem præſagire licebit.

Sin autem acuta in lentam deſierit, vireſque, et naturalis oris color non redierint, cautiſſime de eventu judicandum erit; iſtius enim modi rebus circumſtantibus, ſuppuratio, aut ſchirrus ſupervenire ſolent.

Plus plerumque periculi in acuta imminet, quam in hepatitide lenta, modo hæc non longius porrecta, vel non neglecta fuerit; poſtquam enim aliquantum progreſſa fuerit, medicamentorum, quæ

adhiberi

adhiberi ſolent, viribus reſiſtere ſolet; pus enim formatur, et febris hectica, magna debilitate comitante, quæ ægri miſeriis finem ponit, brevi ſupervenit. In omni fere caſu, ſummum ſuppurationi periculum imminet; quando pus in ventriculum, aut pulmonem tranſit, exitium plerumque adfert; hoc autem perpetuum non eſt, haud deſunt enim hominum exempla, qui ex utroque caſu convaluerunt.

Si pus in abdominis cavum viam patefaciat, ſemper lethalis evadit: Si abſceſſus extrorſum tumeat, ita ut pus foras per tegumenta communia exinaniatur, æger haud raro reſervatur. Si in hepatitide lenta alvi excretio cum pure commixta fuerit, vel admodum fluida, vel fœtida exiſtat, malum augurandum.

RATIO

RATIO MEDENDI.

Ex pathologia ſupra tradita patet, duas exiſtere hujus morbi ſpecies, acutam nimirum et lentam, naturam et cauſam proximam omnino diverſas, et proinde medendi conſilia eſſe duo.

In hepatitide acuta, quæ in ſthenica totius corporis, et præſertim vaſorum hepaticorum diatheſi conſiſtit, conſilium eſt vigorem nimium et vim horum vaſorum minuere: Remedia huic fini accommodata ſunt ſanguinis detractio, medicamenta cathartica, et veſicatoria.

Medicus ſagax ex rebus uniuſcujuſque caſus circumſtantibus judicabit, quonam morbi tempore hæc remedia maxime profitura ſint, quouſque, quibuſque limitibus circumſcripta, præſcribenda ſint: Quicquid enim boni ex eorundem uſu ſperandum eſt, manifeſtum eſt, id omnino, ob ſubitam diathe-

ſeos ſthenicæ in aſthenicam mutationem, pendere ex celeritate, qua violentus indirectæ debilitatis æſtus reprimitur: Remedia igitur ineunte morbo uſurpanda, et caute et ſimul audenter adminiſtranda ſunt, prout ſigna poſtulare videntur.

In omni hepatitidis acutæ caſu, regimen antiplogiſticum religioſe præcipiendum; pro hujus regiminis parte, diluentia grata, et refrigerantia, qualia ſunt acida nativa frugum, et ſales neutrales, julapium ſcilicet ſalinum, et nitrum magna aquæ copia ſolutum ſummi erunt momenti ad irritationem, ex ſiti immodica et calore intenſo, quæ perpetuo adſunt, mitigandam, et vires reficiendas. Haud vulgaris peritiæ nec levis quidem judicii eſt, dignoſcere quanta eſſe debet ſanguinis detractio, quandoque iteranda: Hæc autem ægri viribus et ætate, ſignorum gravitate, morbi tempore, et effectu in pulſum edito, plerumque ordinari poteſt: Pauci quidem exiſtunt clinici hac felici judicandi facultate prædiți, quæ majorem rerum uſum, animique intentionem poſtulat, quam medicinæ incumbentes

prævidere

prævidere ſolent. Hepatitis acuta in regionibus calidis, India præſertim Orientali, et Occidentali curſum ſuum tanta velocitate abſolvit, ut niſi ſanguinis detractio, primo ſecundo vel ſaltem tertio morbi die, fiat, remedium anceps et periculoſum plerumque futura ſit: Nec dubitandum cenſeo, quin infauſta clades a clinicis in hoc morbo obſervata, hoc remedio et intempeſtive et ſine diſcrimine adminiſtrato, profluxerit.

Sanguinis detractio componi poteſt libræ lancis ancipiti, quam rudis cujuſve ſimulatoris manus librare neſcit, namque,

" Incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim."

Huic conſilio inſerviunt cathartica refrigerantia; mitiora plerumque anteponenda ſunt, qualia ſunt Infus: Tamarind: cum Senna, Kali: tartar: et Natron: tartar: larga aquæ copia diluta, ut ſtrictius antiphlogiſtica fiant; quo occuratur nauſeæ cæteriſque ſenſibus ingratis, quæ nonnunquam excitant, quando juſto minori aquæ copia exhibentur.

Medi-

Medicamenta veſicatoria efficaciſſimas ſanguinis detractioni ſuppetias ferunt: Ineunte morbo admoveri debent, frequentemque eorundem iterationem viſceris inflammati vicinitati applicatam multo plus ad ſuppurationem præveniendam valere, quam humorum detractionem ex unica tantum parte veſicata, experientia conſtat. Veſicatorium imponi debet, quam proxime fieri poteſt, parti dolenti; cum autem cantharidum ſtimulus ſanguinis detrahendi effectus minus efficaces reddit, cunctandum eſt, donec ſanguinis detractio actionem vaſorum nimiam minuerit. Si morbus equidem lenis fuerit, veſicatorium ſtatim poſt primam ſanguinis miſſionem admovere fas eſt; ſin autem morbus gravior ſit, alteramque ſanguinis detractionem neceſſariam fore prævideatur, cantharidum uſum, uſque dum hoc impedimentum tollatur, differre conveniet: Nec hic loci oblivisſcendum, haud parvi eſſe judicii, morbi tempus diſcernere, quo veſicatoria admovenda ſint; ſi enim juſto maturius uſurpentur, quod tamen raro ob magnam mali velocitatem fit, ſtimulo, quem vaſis addunt, ſanguinis detractionis

effectibus

effectibus utpote contrario, nocere inveniuntur: In hoc cauto veſicatoriorum uſu multus eſt Cel. CULLENUS, ſagax ille medicus rerum uſu peritus. Ex hoc igitur medicinæ uſu, quem experientia comprobavit, veſicatoriorum effectus haud parum ab his, quos ſanguinis detractio edit, diſcrepare manifeſtum eſt.

Quomodo igitur veſicatoriorum operandi modi ratio reddenda?

Quando hæc remedia adhibentur, partis inflammationem cient, ſtimulando, et augendo vaſorum actionem ſupra normam naturalem. Hæc actio aucta in paſſivam inflammationem, humorum detractione ex finibus vaſorum laxatis comitante, brevi deſinet: Hæc actio aucta vaſorum partis acuta inflammatione affectæ contingere nequit, quin ſanguinis fluxus eandem partem verſus augeatur, quo fiet, ut ſanguinis congeſtio in jecoris vaſis jam ultra modum diſtentis tollatur, viriumque jactura, quæ ipſis imminebat, præveniatur oporteat.

Poſt

Poſt aliquod tempus cantharidum pars reſorbetur, et ſtimulo ſuo ciet, ut vaſa hepatica, quibus vires adhuc intactæ manent, ſe onere ſanguinis nimio expediant, et ad priſtinam magnitudinem ſuam paulatim redeant. Veſicatoria hoc operandi modo in acuta inflammatione prodeſſe, patet ex commodo, quod ex frequenti eorundem iteratione fini exoptando adeo neceſſaria percipitur.

Veſicatoriis agentibus, copioſus diluentium uſus præcipiendus eſt: Hoc præſertim neceſſarium eſt in regionibus calidis, in his enim organa urinæ inſervientia cantharidum ſtimulo, plus quam in frigidis, aut temperate calidis, affici ſolent.

Præter regimen antiphlogiſticum, medicamenta refrigerantia, ſanguinis detractionem, purgantia et veſicatoria, quibus vigor vaſorum nimius efficaciſſime minuitur, medicamenta diaphoretica ex ſtibio præparata, minus licet actuoſa, vi inſigni pollent, doſibus aliquanto ſuperficiei humori ciendo ſuſtinendoque paribus adminiſtrata; hoc conſilium

copioſo

copioſo diluentium tepidorum uſu haud parum promovetur: Sique morbus, ut ſæpe fit, pneumoniam comitem habuerit, aliquamve excreatione terminandi proclivitatem oſtenderit, inter efficaciſſima hunc finem aſſequendi auxilia invenientur.

Clinicus valido et tempeſtivo horum remediorum uſu, indirectæ debilitati ejuſque ſequelis occurrere plerumque valebit. Sin autem morbus, ob violentiam, aut auxilium medicum ſerius adhibitum, his remediis non ceſſerit, ſique ſimul nulla ſuppurationis ſigna adfuerint, ad *hydrargyrum* ſtatim confugiendum eſt.

Opinio aliquamdiu invaluit, hydrargyrum vi quadam ſpeciali omnibus jecinoris morbis mederi: clinici ſagaces brevi perceperunt hoc medicamentum ſine diſcrimine adhibitum, haud parum damni et periculi ſecum afferre, nec unquam jam exhibendum jubent, donec diatheſis phlogiſtica adminiſtratione antiphlogiſtica penitus reprimatur; tum demum hydrargyrus prodeſt: Acutæ enim hepatitidis

titidis reſolutionem haud raro debilitate in lentam hepatitiden apta comitari, accurata obſervatione conſtat: Raro quidem evenit, ut remedia in hepatitide acuta adeo perite adminiſtrentur, ut hæc debilitas, quæ tanta vi in lenta hepatitide inducenda pollet, non ſuperveniat.

Nunc demum occaſio adeſt adminiſtrandi hydrargyrum, quod torpidam venam portæ in juſtum tempus excitando, cavet ne debilitas in ſchirrum abeat.

Hac medendi ratione rite perpenſa, nonne manifeſtum eſt, poſito hepatitiden acutam ex debilitate vaſorum partis inflammatæ pendere, morbum diatheſi totius corporis phlogiſtica, quæ ſemper adeſt, ſponte ſolutum iri, quandoquidem hydrargyrus eidem diatheſin phlogiſticam, ſive auctam totius corporis actionem ciendo medetur? Ex ratione igitur medendi, morboſum vaſorum hepaticorum vigorem ſemper acutam hepatitiden comitari, patet.

Procli-

Proclivitatem hepatitidis in ſchirrum diverſam eſſe in diverſis exemplis obſervatione conſtat, modo eſt levis tantum, modo vero eſt admodum inſignis: Hinc hydrargyri copia variis caſibus neceſſaria eſt admodum varia: Alia exempla leniori hydrargyri ſtimulo in juſtum tempus adhibiti, ita ut os leviter exulceretur, ſanantur; aliis vero, non niſi lenem ptyaliſmum ciendo, et aliquandiu ſuſtinendo, mederi non poteſt. Quod hydrargyri adminiſtrationem attinet, fricatio plerumque anteponitur: Unguentum hypochondrio dextro affricari ſolet, creditur enim majore vi pollere, quando quam proxime parti affectæ applicatur: Nonnulli autem exiſtimant parum referre, cuinam parti affricetur, utrum interne vel externe adminiſtretur; modo effectus, quos in corpus edit, æquales fuerint: haud ſemper tamen hypochondrio dextro propter veſicatorii exulcerationem adhiberi poteſt.

Quando morbus in ſuppurationem terminatur, ut ſæpe evenit, vires ægri fatiſcentes diæta generoſa, cinchona, et vino ſuſtinendæ ſunt; et ſi ab-

ſceſſus extrorſum tumeat, res chirurgo concredenda. In hepatitide lenta, ſive idiopathica, ſive ſymptomatica, remedia maxime idonea, ſunt cathartica mitiora, hydrargyrus, medicamenta exulceratoria, roborantia, et opium.

Quæ ſupra de hydrargyri, et medicamentorum exulceratoriorum uſu diximus, eadem huic pariter morbi formæ accommodari poſſunt, hoc tamen diſcrimen intercedit, quod in lenta ptyaliſmus nunquam audendus, et quod nonnunquam hydrargyrum omittere, et certis intervallis repetere, oportebit, quæ medici peritia, et rebus uniuſcujuſque exempli circumſtantibus, decernenda erunt.

Quamvis hydrargyri uſum in hoc morbo haud parum jam commendavimus, non eſt diſſimulandum tamen, quin caſus ſubinde occurrant, quorum ſigna huic remedio in longius licet tempus adhibito, non cedunt: Binarum igitur Indiarum incolæ memoria beneficii ſempiterna aſtringuntur Domino Scott Bombaiæ, qui ingenio fidente, et quodvis audendi

audendi capace probavit experimentis non ſolum in ſe ipſum, ſed etiam in plures alios, inſtitutis, *acidum nitricum* vi etiam majore pollere, non ſolum contra hunc morbum horrendum, ſed etiam adverſus ipſam luem veneream, omnium malorum, quibus gens humana plectitur diriſſimum, longe teterrimum.

Dominus Scott acidum nitricum hepatitide lenta laborantibus ſolis adminiſtravit; noluit enim ægrorum ſuorum vitam in periculum adducere, utpote tunc temporis ratus remedium eſſe anceps. Hujus medicamenti efficacia adverſus luem veneream in regio florentis hujus urbis noſocomio nuper confirmata eſt: Quoniam autem hepatitidis occaſio nondum ſe hic loci fuit, in obſervationibus, et fide Domini Scott acquieſcendum, uſque dum periculum faciendi occaſio ſe obtulerit.

Auctor jam laudatus opinatur medicamentum ſuum, modo doſibus ſatis magnis ſumatur, profiturum in his Indiæ febribus, quæ nominatæ fuerunt

biliosæ, nervosæ, vel putridæ, et in quibus hydrargyrus vi quadam peculiari agere videtur.

Qui fusius de his rebus certiores fieri voluerint, hos ad opus utile, hic loci a duobus doctoribus DUNCANIS, patre et filio, vulgatum, cui titulus, *Annals of Medicine*, relegandos censemus.

Quando hic morbus dysenteriæ signis vel febribus remittentibus aut intermittentibus comitatur, in his etiam casibus, hydrargyro, remediisque, quæ illis affectionibus accommodantur, cedere observatur. Ante hydrargyri exhibitionem alvi excretio parvis catharticorum mitiorum dosibus promovenda est, si diarrhœa non adsit, et medicamentorum astringentium usus, ni alvi proluvies tanta sit, ut debilitatem periculosam inducat, caute vitandus est. Hæc intestinorum lævitas indusiis laneis et unguento hydrargyri abdomini affricato cedere solet. Lenis gestationis exercitatio multum prodest, interea a calore nimio, omnique cœli intemperie, cæterisque causis excitantibus sedulo cavendum.

Dyspepsiæ

Dyſpepſiæ ſigna a cinchona, colombæ radice, floribuſque chamœmeli mitigari poſſunt; hæc autem caute ſumenda ſunt: Infuſum amarum cum parva tinĉturæ corticis Peruviani, et radicis colombæ quantitate melius reſpondere ſolet. Diæta debet eſſe generoſa, et largiore aromatum copia ſcite condita, et concoĉtu facilis.

Inter prandendum unus, alterve veteris Madeirenſis, aliuſve vini generoſi cyathus plurimum prodeſſe invenietur. Communis ægri potus ex vino, vel ſpiritu ſacchari Barbadenſis aqua diluto, conſtare debet; cereviſia enim tenuis ventriculo acorem gignere ſolet.

Tuſſis moleſta, quæ hepatitiden plerumque comitatur nullo remedio certius, quam opio levatur.

Lateris dolor fotu et enematibus emollientibus conſopiri poteſt.

Denique

Denique ſi morbus huic medendi methodo reſiſtiterit, ægro in cœlum mite migrandum, uſu medicamentorum ſimul per aliquod tempus omiſſo, idoneo deinceps intervallo iterando, qua ratione multi ſæpe convaluerunt.

FINIS.